



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Mvndvs Et Mvndi Partes, Divinæ Bonitatis Ac Ivstitiæ
Præcones**

Stengel, Georg

Ingolstadt, 1645

§. 7. Aqua aliquoties in vinum versæ gloria.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52365](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52365)

re, qui vel è pumice potest aquã eijcere. Et quia *lachryma poenitentiu, sunt vinum Angeloru*, plus est vtique, in fletu liquefieri peccatorem, quàm aquam in vinum conuerti.

§. VII.

Aqua aliquoties in vinum versa gloria.

S. Hiero-
nym. lib.
de loc.
Hebr.

Isa. 9.

S. Epi-
phan.
hæres. 55.

Quoniam neque hac ratione abstinuit benefacere mundi Reparator. Siquidem in Cana Galilææ, oppido, vt tradit S. Hieronymus, posito in Galilæa Gentium, primū omnium miraculum Christus patrauit, cum aquam permutauit in vinum, vt dudum Isaias facturū prædixerat. Quod, sexto die Ianuarij factum, non solum testatur Ecclesia, quæ eum diem hoc nomine, celebrè habet, sed & complura miracula, varijs locis, solita exhiberi, de quibus S. Epiphanius, hæc habet. *Post annos triginta factum est primum miraculum, in Cana Galilææ, quando aqua facta est vinū. Quapropter & in multis locis, vsq; in hunc diem, hoc fit, quod tunc factum est, diuinum signum, in testimonium incredulis: velut testantur, in multis locis fontes ac fluij in vinum conuersi. Cibyres quidem vrbes Carie fons, qua hora hauserant ministri, & ipse dixit: Date architriclino. Testatur & in Gerasa Arabia fons similiter. Nos bibimus de Cibyris fontibus fratres*

fratres verò nostri de eo, qui est in Gerusa, in
 martyrum templo. Sed & multi, in Egypto, de
 Nilo hoc testantur. Quare in undecima Tybi
 (mensis, quæ lux est apud nos sexta dies Ia-
 nuarij) apud Egyptios omnes hauriunt aquã,
 & reponunt, tum in ipsa Egypto, tum in
 multis regionibus, &c. Hęc Epiphanius. Hanc
 causam cum accolæ ignorarent, Baccho id
 beneficium suo tribuerunt, cui & idcirco
 fanum struxerunt, in Andro; vbi, Plinio te-
 ste, in templo Liberi patris, fontē nonis Ianuarij
 (vno die ab Epiphanio discrepat) vini sapore
 fluere, Mutianus ter Consul tradit: Diotecno-
 sia vocatur. Similes his accolis sunt multi,
 qui non aqua modò, sed & vino suauissimo
 munificentissimè donati; beneficium haud
 Deo, sed diuitijs suis ascribunt, immemores,
 ipsas se diuitias à Deo accepisse; quibus vina
 comparant; nec vnquam soliti mentionem
 facere de fontibus Saluatoris. Qui beneficijs
 grati sunt, agnoscunt benefactorem. Neq;
 enim in nuptijs tantum, aut in illis fontibus
 hoc prodigium Christus patrauit, sed
 etiam alijs temporibus. Siquidem Cranzius
 memorat, Isfridū Raceburgensem, in Van-
 dalia, Episcopum, miracula etiam non cogi-
 tantem expertum esse. Iusserat is, sacra die

Plin. nat.
 hist. lib. 2.
 cap. 103.
 & lib. 4. c.
 12.

Cranz.
 lib. 6.
 Metrop.
 cap. 40.

K

Para-

Parasceues, à ministro aquam afferri, potest gratia. Allatam gustavit, toruoque vultu. *An non, inquit, iussi, ut aquam afferres, non vinum? Territus ille, sanctè affirmavit, aquam se attulisse de fonte. Iussit iterum haurire, & tertium haurire, semper, aquæ loco, vinum est apportatū. Tum resolutus in lachrymas, oculos in cælum sustulit, inquiens: Quando tua voluntate, mirifice Creator, creatura mutatur, cedo, quia jubes. Ecce in die passionis Filij tui, sumo, quod præstas. Monstrant hodie fontem, juxta domum thesaurariæ in Raceburgo, vnde hausta fuit aqua, eo die, in vinum versa à Christo, quo ipse fel in potum à mortalibus accepit.*

§. VIII.

Aqua Baptismo & Christi ipsius contactu consecrata.

Enim verò aquas Christus honoravit non solum, quando eas, ad nuptias invitatus, alijsque locis, in vinum conuertit: sed etiam quando, suscepto à Ioanne baptizante, Jordanis fluenta consecravit; itemque, quando, quarta vigilia noctis, venit ad discipulos ambulans super mare, pedibus eius se permittens calcari, tanquam marmor solidum: & quando olim, quotannis, clarissima illa miracula

repe-

S. Maxim.
im. ser. de
Epiphania.
Matth.
74. 25.